

*Ad Lectorem.*

ad annum usque septuagesimum tertium, quo decimo Decembris die ultima disputatio exhibita est. In istis vero ita processit, ut *tribus prioribus* exhiberet Libri Ruthæ *Precognita*, & exponeret in *priori* libelli & Autorem, & Titulum, & Contenta, & Linguam originalem, & sedem atque ordinem; *posteriori* vero & *postrema* differeret de libelli Interpretibus, hoc modo, ut recenseret in secunda illos, de quibus in præsentate tractatu agere sibi non proposuerat, in *tertia* autem enarret in specie illos, quorum labores traditurus erat, & istos quidem, ut diximus, Judæicos, videlicet, Targum, utramque Masoram, R. Jarchium, R. Aben Efram, R. Aben Melechum, cum R. Aben Dana. Quibus Prolegomenis absolutis, reliquis *novem* ipsam *Tractationem* libelli aggressus est, ea methodo, quam indicaverat *Disp. I. §. IV. p. 2.* primo enim Originalem Textum cum versione exhibet, *deinde* interpretes, quos promiserat, & eo quoque, quo in *Disp. III. recensuerat* ordine, omnes adjunctis versionibus; ita tamen ut Chaldaici Targumi versionem, quam Biblia Anglorum Polyglotta tradunt, sed quandoque à se interpolatam, ut dicit *Disp. III. §. VIII. p. 30.* Utramque vero Masoram etiam, si opus videbatur, annotationibus illustravit, quibus exhibitis, ad ipsius Textus Philologicam progrediebatur Explicationem, in qua accurate in vocum significationes inquisivit, earum copulationem monstravit, autorum opiniones recensuit, sensumque planum fecit ita, ut omnes optent, ut ad calcem libelli utilissimum atque jucundissimum laborem perduxisset. Verum accidit illi quod in Ben Siræ Proverbiis dicitur: כלתא עלתה לגנני : quod Drusius vertit: *Sponsa conscendit thalamum, sed nescit, quid sibi eventurum sit.* Nam ad majora in Ecclesia pariter atque Academia vocatus B. Vir, laborem quidem istum non abjecit, sed semper optavit, ut otium haberet, illum continuandi, quod tamen continuata & gravissima ipsius, quæ omnes norunt, negotia, negarunt, atque relictam

b

pene